



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XXIII. Vtrum ad seruanda supernaturaliter præcepta, quæ de internis
actibus data sunt: vel ad non peccandum contra illa, sit gratia necessaria?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

C. XXII. Vtr. sint alij actus supernaturales, qui beatitudines, vel fructus, &c. 437

virtutum, & donorum ex genere suo, magis vero vel minus id præstant, iuxta gradum suum, & iuxta dispositionem operantis. Hinc vero D. Thomas 2. 2. quæst. 157. art. 2. ad 3. dixit, beatitudines esse actus virtutum, fructus vero esse delectationes de actibus virtutum. Sed hoc intelligendum est sano modo, nam re vera isti actus virtutum sunt propriissimi fructus, & fortasse meliores, & vtiliores, quam delectationes, quæ ex illis resultant. Solum ergo quoad metaphoram videntur virtutum actus nomine fructuum significari, quatenus suauitatem secum afferunt, & quia hoc maxime habent in statu virtutis perfectæ, ideo absolute videntur actus perfecti fructus appellari, absolute vero omnes actus iustitiæ fructus dici possunt.

27. Tandem hoc probatur ex numeratione Pauli, nam charitatem ponit vtr. primum fructum Spiritus Sancti, per quam certe non intelligit, nisi (vt solet) diuinum amorem, qui nobis infunditur per Spiritum Sanctum, qui datur nobis, & illi adiungit gaudium, & pacem, qui sunt actus, & effectus eius. Postea vero ponit fructus virtutum moralium, vt respectu proximarum bonitatem, id est, beneficentiam, seu liberalitatem, quam etiam vocat benignitatem, & fidem, vtrique moralem, sub qua totum fructum iustitiæ complectitur. Respectu vero sui ponit in primis quoad mala ferenda patientiam, loco fortitudinis, seu totum fructum fortitudinis sub illa complectens, cui adiungit longanimitatem, per quam animi constantiam, & lenitatem in diuturnis, & acerbis malis sustinendis significat. Et his etiam deseruit tolerantiam, quæ iram moderatur, & ad malorum tolerantiam inuare solet. Quoad operanda bona, & frændas concupiscentias (quod est temperantiæ munus) ponit modestiam, continentiam, & castitatem. Et ita omnes hi fructus ad charitatem, & tres virtutes morales appetitus pertinent.

28. Fidem autem, spem, & prudentiam omisit Paulus, vel quia non assumpsit prouinciam numerandi omnes fructus, vel omnes actus virtutum, sed eos, qui operibus carnis frequentius, & clarius aduersantur, vel quia fides, & prudentia non fructificant, nisi media voluntate, spes autem non videtur tam proprie significari per metaphoram fructus. Vel certe fides, quam Paulus narrat, potest ad fidem Theologiam referri, vt D. Th. etiam docet, & sub longanimitate potest intelligi spes, vt Gabr. exponit, qui etiam sub modestia prudentiam comprehendit: sed est dura, & metaphorica expositio, meliusque dicitur virtute comprehendi sub omnibus moralibus fructibus, quia sine prudentia nulli sunt. Atque hæc sufficiunt de numero fructuum, quia (vt dixi) non oportet cogitare tot esse numeratos, quia tot sint, & non plures, vel quia in illo numero singulare aliquod mysterium inueniatur: sed quia illi viles & sufficientes vili sunt ad oppositionem inter spiritum, & carnem explicandam. Atq; hæc videntur sufficere præsentis instituto, nam de his singulis inquirere quid sint, & quomodo inter se distinguantur, integrum tractatum de Virtutibus in particulari postulat.

C A P V T XXIII.

Vtrum ad seruanda supernaturalia præcepta, quæ de internis actibus data sunt, vel ad non peccandum contra illa, sit gratia necessaria?

1. Hæcenus dictum est de necessitate gratiæ ad efficiendos supernaturales actus, abstrahendo à ratione præcepti, nunc superest breuiter dicendum de obseruantia præceptorum supernaturalium, & quoniam de interioribus, & exterioribus actibus dantur.

Pars I.

de quibus diuersa est ratio, ideo de illis sigillatim dicemus. Potest deinde tractari quæstio vel de tota collectione supernaturalium præceptorum, vel etiam de singulis pro quocunque tempore obligantibus; nos autem hunc posteriorem sensum intendimus. Nam in priori à fortiori definita est quæstio ex his, quæ de obseruatione præceptorum naturalium superiori libro diximus: præterquam, quod ex definitione quæstionis in posteriori sensu, in priori etiam resoluta manebit, vt in fine capitis vno verbo expediemus.

In hoc ergo puncto iterum occurrit error Pelagij, qui indistincte asseruit, omnia, & singula præcepta posse sine gratia impleri, vt copiose in proleg. 3. dictum est. Vt autem in hoc puncto distinctus procedamus, & in illo error Pelagij melius intelligatur, aduerto, duobus modis posse præceptum aliquod dici supernaturale, scilicet, vel quia datur de actu supernaturali, vel quia præter ordinem naturæ datur. Quod potest contingere duobus modis, scilicet, vel quia datur ex aliqua suppositione supernaturali, vel quia est positum, immediate à Deo ipso positum, ex sua libera voluntate nobis reuelata. Priori modo potest dici præceptum supernaturale quoad substantiam, posteriori autem quoad modum. Quimodus magis in præceptis de actibus externis, quam de internis locum habet, vt capite sequenti dicam. Ex his autem duobus modis præceptorum supernaturalium Pelagius certe non admitteret priorem, quia supernaturales actus non agnouit, ablata autem materia aufertur præceptum. Quocirca non videtur composuisse (vt sic dicam) tale supernaturale præceptum cum obseruatione illius per solas vires liberi arbitrij, quia fuisset hæc aperta contradictio, nimirum, admittere verum supernaturale præceptum ex parte actus, & nihilominus dicere, posse per vires naturales seruari. Sed errauit negando data esse, vel dari posse hominibus talia præcepta supernaturalia, fortasse enim credidit, non posse dari præcepta de talibus actibus, vel quia nullo modo possunt à nobis fieri, vel quia non possent esse liberi. Admisit autem Pelagius præcepta supernaturalia posteriori modo, illa tamen dicebat posse impleri per vires naturæ. Vt v.g. præceptum fidei dici potest supernaturale, quia supponit reuelationem supernaturalem, qua posita resultat obligatio credendi, nihilominus tamen aiebat, hanc obligationem solum esse de fide quadam naturali, quam homo potest per vires liberi arbitrij adhibere, & ita dicebat hoc præceptum posse impleri per vires naturæ. Et idem diceret de præcepto charitatis, & spei, quæ maxime de actibus internis dantur. Et in hoc etiam ducebatur Pelagius illo fundamento, quod Deus non præcipit impossibilia, & ideo licet hæc præcepta sint quoad modum supernaturalia, quia aliquid supra naturam supponunt, nihilominus de illa materia solum potest dari præceptum, quod per liberum arbitrium possit impleri.

Secundo referenda est aliquorum Theologorum opinio, qui supposita distinctione duplicis obseruantie supernaturalis præcepti, quoad substantiam, & quoad modum, dicunt, supernaturale præceptum quoad suam substantiam posse impleri per vires liberi arbitrij absque auxilio gratiæ, non tamen posse impleri quoad modum. Ita docet Caiet. 1. 2. q. 109. art. 4. vbi etiam D. Thomas videtur idem docere de homine in statu naturæ integræ, licet in statu naturæ corruptæ id non admittat. Sed D. Thom. in alio sensu longe diuerso loquutus est, vt postea declarabo. Caietanus itaque in omnibus præceptis etiam fidei, spei, & charitatis distinctionem illam locum habere vult. Vnde videtur fundari in hoc, quod actus præcepti per has leges non sunt quoad substantiam supernaturales, sed tantum quoad modum. Nam hinc sequitur, actus mandatos his præceptis posse fieri sine gratia quoad substantiam eorum; licet quoad modum

O o 3

modum

modum supernaturalem non possint sine gratia fieri; ergo eadem ratione possunt impleri præcepta illa quoad substantiam sine gratia, licet non quoad modum.

4. Aliam etiam distinctionem adhibet idem Caiet. eadē questione ar. 8. inter obseruare, vel non transgredi præceptum, dicitq; non posse hominem implere præcepta huiusmodi sine gratia, vtq; quoad modum eorum: posse autem non transgredi illa, id est, non peccare contra illa, per solas vires liberi arbitrij sine gratia. Ratio huius posterioris partis (nam de prima nullum est dubium, vt dicemus) est, quia si homo caret viribus, & auxilijs gratiæ, non potest implere supernaturalia præcepta: ergo eo ipso non potest contra illa peccare, quia nemo potest peccare in eo, quod vitare non potest: ergo non eget gratia ad non peccandum contra talia præcepta: imo ex carentia præcepti necessario sequitur non violatio præcepti. Confirmat hoc tacite Caietanus ex doctrina D. Thomæ in illo articulo. Docet enim ibi Doctor Sanctus, potuisse hominem in statu integræ naturæ non transgredi, nec peccare contra quæcunque præcepta, etiam si gratia careret, nihilque distinguit inter præcepta supernaturalia, & naturalia: ergo supponit, ad non peccandum contra supernaturalia præcepta non esse necessariam gratiam.

5. Alij denique distinguunt inter præcepta affirmatiua, & negatiua, dicuntq; ad seruanda, vel non violanda affirmatiua præcepta supernaturalia esse gratiam necessariam: ad implendum aut, vel non transgrediendum præceptum negatiuum, non esse gratiam necessariam. Ratio huius partis est, quia præceptum negatiuum seruatur per solam omissionem, quæ in negatione, vel priuatione consistit, sola autem carētia actus sine gratia haberi potest. Tum quia non est aliquid supernaturale, quia actus prohibitus per negatiuum præceptum non est bonus, sed malus, & ideo est maxime naturalis, & proprius liberi arbitrij defectibilis: ergo multo magis carētia talis actus est naturalis: ergo potest per liberum arbitrium haberi. Tum etiam quia omisio consistit in non agendo; ad non agendum autem non est necessarium auxilium Dei, quia auxilium est ad aliquid agendum, ergo.

6. Imo ob hanc rationem dixit Guilielmus de Rubion, neq; generalem Dei concursum esse necessarium ad seruandum præceptum negatiuum, quodcumq; illud sit, quia concursus est necessarius ad agendum, non ad non agendum. Quod si quis dicat, licet non agere non requiratur auxilium, vel concursus, tamen velle non agere non fieri sine Deo, & hoc esse necessarium ad seruandum præceptum negatiuum. Contra hoc est, tum quod voluntas potest suspendere actum pro sua libertate sine actu positiuo volendi, & hoc factis est ad non peccandum contra præceptum negatiuum; tum quia etiam si esset necessaria illa voluntas, non esset ad illam necessaria gratia, quia est de obiecto possibili per solas vires liberi arbitrij, ergo potest haberi per easdem vires. Et patet fortiori, nam etiam omisio actus supernaturalis potest esse voluntaria positiuæ per voluntatem mere naturalem factam per solas vires liberi arbitrij cum concursu generali, ergo multo magis voluntas non agendi quæcumq; actum naturalem haberi poterit naturaliter per solas vires voluntatis.

7. Nihilominus dico primo. Ad implendum quodcumq; præceptum supernaturale de interno actu, est necessaria diuina gratia. Hanc assertionem absolute positam, censo esse certam secundum doctrinam fidei quod sic declaro. Nam in illa supponimus dari aliqua præcepta de actibus internis simpliciter supernaturalia, quod secundum fidem negari non potest, vt in lib. vi. de Legib. tractando de lege gratiæ late ostensum est, & nunc breuiter patet. Nam diligere Deum actus internus est, & si sit super omnia ex toto corde,

ac deniq; prout ad salutem necessarium est, supernaturalis est, vt supra est de fide ostensum: sed de hoc actu est datum præceptum in Scriptura expressum, vt constat, ergo. Idem argumentum de præcepto fidei, & spei fieri potest; nam in actibus internis consistunt, & prout necessarij sunt ad salutem, supernaturales sunt, & sine gratia fieri non possunt. At de illis vt ad salutem sunt necessarij, data sunt præcepta diuina, vt est etiam in fide per se notum; ergo talia præcepta data sunt de illis actibus, vt supernaturales sunt; ergo talia præcepta sunt supernaturalia simpliciter, id est, ex parte materiæ, & rei, quam præcipiunt. Hinc ergo concluditur assertio, quia præceptum affirmatiuum non seruatur, nisi fiat id, quod præceptum est: ergo talia præcepta non seruantur, nisi fiant illi actus, vt supernaturales sunt, quia vt sic præcipiuntur: at vero actus supernaturales, quatenus supernaturales est, non potest fieri sine gratia: ergo absolute loquendo non possunt talia præcepta seruari sine gratia.

Atq; hæc ratio concludit non solum de collectione talium præceptorum, sed etiam de singulis, neq; solum de singulis præceptis secundum totam vniuersum, iusque latitudinem, sed etiam secundum quamlibet partē eius, id est, quoad singulos actus eius. Primum patet, quia non sola collectio illorum præceptorum superat vires naturæ, sed etiam vnumquodque, quia vnumquodque datur de suo actu, vt supernaturalis est, vt ratio facta ostendit, quia datur de illo prout fieri debet, sicut ad salutem oportet. Et inde concluditur altera pars, nam sub præcepto fidei v. g. continetur præceptum credendi omnia, & singula mytheria reuelata, & ad credendum propolita. Vnde non tantum præcipitur vnus actus credendi, sed et multitudo actuum, qui ad varia mytheria terminantur, vt ad credendum Deum esse Trinum, & Vnū, & Christum esse Deum, hominem, &c. Dicimus ergo non solum esse necessariam gratiam ad credendum hæc omnia, non errando, nec dubitando de aliquo, quando sunt sufficenter propolita: sed etiam esse necessariam ad implendum illud præceptum circa singulos actus, vel etiam circa vnum mytherium, si illud tantum proponatur. Probatur eadem ratione, quia illud præceptum in singulis suis partibus, vel actibus, est supernaturale: ergo nec in totum, nec ex parte impleri potest, sine gratia. Idem argumentum fieri potest de spe, vt circa Deum, vel res alias versari potest, & de præcepto charitatis, vt Deum, & proximum compendendi. Confirmariq; potest ex quodam principio fidei supra posito, gratiam esse necessariam ad singulos actus bonos, & ad vitam æternam de se conferentes: nam quilibet actus obseruandi præceptum aliquod supernaturale, est actus pietatis, & de se conferens ad salutem æternam: ergo ad illum præstandum est gratia necessaria.

Vnde ad hoc confirmandum asserri possunt ordinaria testimonia, quib. definitur non posse nos complere diuina mandata sine gratia, vt traditur in Concilio Mileuit. cap. 5. Id enim maxime verum habet de mandatis supernaturalibus, & in vniuersum de omni obseruatione, quæ cōfert ad vitam æternam: qualis per se, & ex suo genere est obedientia cuiuscunque præcepti supernaturalis, etiam in singulis actibus, præceptis, iuxta doctrinam Conc. Arabie. cap. 9. 20. & 25. Celestin. epist. 1. ad Episc. Gallie cap. 8. & 9. Augustini de Natur. & grat. cap. 26. de Grat. & lib. arb. c. 18 & 28. lib. 2. de Peccator. merit. c. 5. De Spir. & liter. cap. 14. & lib. 1. de Gratia Christi c. 15.

Potestq; hæc assertio extendi non solum ad actum, quo in effectu impletur præceptum, sed etiam quoad actum qui est impleri, quantum est ex vi actus. Præceptum enim affirmatiuum non obligat semper, sed pro temporibus definitis, vel necessarijs, ideoq; actus eius, licet possit quolibet tempore exerceri, per illum tamen non proprie impletur præceptum, nisi quando sit eo tempore, pro quo obligat præceptum: nihilominus tamen

tamen, quia actus etiam extraham occasionem factus, est eiusdem rationis, & de se aptus ad implendum supernaturale præceptum, si eo tempore obligaret, ideo ad omnes similes actus talis præcepti est gratia necessaria. Et simili modo quamvis homo non teneatur explicite credere omnia, quæ reuelata sunt, vel quoad actuale cognitionem, & vsum, seu exercitium, vel quoad supernaturalem modum credendi, sed ad salutem satis sit supernaturaliter credere, & explicite ea, quæ vti sic credenda proposita, & præcepta sunt, nihilominus si quis voluntarie exercere velit fidem circa alias materias, vt id faciat per actum de se sufficientem ad implendum supernaturale præceptum, si datum esset de tali materia, necessaria est gratia propter rationem factam.

11. Secundo dicendum est, nō solum esse necessariam gratiam ad seruanda hæc præcepta quoad modum operum, sed etiam quoad substantiam eorum. Assertio hæc in sententia nostra, quod actus isti, de quibus dantur hæc præcepta, supernaturales quoad substantiam sunt, per se euidenter est. Quia actus isti quoad substantiam suam non possunt fieri sine gratia, cū substantia ipsa naturalis sit, sed præcepta hæc dantur de his actibus, ergo non possunt quoad substantiam impleri sine gratia. Patet consequentia, quia tunc præceptum quoad substantiam impletur, quando actus præceptus quoad substantiam fit. Veruntamen abstrahendo etiam ab illa opinione, procedit, & omnino vera est assertio posita. Quia licet actus ipsi secundum se spectati essent quoad substantiam naturales, & supernaturales quoad modum, nihilominus relati ad præceptum, modus ille est de substantia talis præcepti, quia præcipitur actum sub tali modo, vt probatum est, quia præcipitur actum, vt necessarium ad salutem, ac proinde vt fieri oportet ad iustitiam; vt sic autē necessarium modum illum requirit. Ergo substantialis materia illius præcepti includit modum illum: ergo qui non facit actum tali modo, non implet substantiam præcepti. At vero vt fiat actus sub tali modo necessaria est gratia. Ergo ad implendum tale præceptum necessaria est gratia.

12. Quo circa si Caietanus asserens posse impleri hæc præcepta quoad substantiam tantum sine gratia, id dixit, quia credidit modum illum supernaturalem non solum esse extra substantiam actus, sed etiam non cadere sub præceptum, vel quia pendet ex solo Deo, vel quia solum requiritur ad fructum operis, nō vero ad obseruationem præcepti: si inquam Caiet. ita sensit, & supponit vnum falsum, & supra improbatum, & addit aliud multo magis falsum, quia certissimū est, præcipi nobis actus supernaturales, vt supernaturales sunt: ergo præcipitur modus supernaturalis, siue ille sit de substantia actus, siue non. Antecedens patet, tum ratione facta, quæ præcipiuntur nobis hi actus, quatenus ad salutem necessarij sunt. Tum etiam inductione, quia præcipitur nobis dilectio charitatis super omnia, & fides Christiana, & Catholica, &c.

13. Si vero Caietan. supposita priori sententia, quod modus sit extra substantiam operis, solum dicere voluit, posse fieri actus præceptos quoad substantiam operum sine gratia. Sic immerito, & valde improprie dicit per illos actus seruari præcepta quoad substantiam, quicquid sit de effectione actus. Nam qui facit actum, quo non implet præceptum, non potest dici facere præceptum, quoad substantiam operis, vt qui exterius orat sine attentione, non implet præceptum orandi, etiam quoad substantiam eius, quia in illo præcepto substantialiter includitur attentio, etiam si illa non sit de substantia externa orationis. Vnde D. Thomas quoties illa distinctione vitur, loquitur de modo, qui non solum non sit de essentia actus, sed etiam non cadat sub præceptum, qualis est modus operandi ex charitate, vt videlicet in dicta quæst. 109. art. 4. Vbi aperte supponit, eum, qui implet præceptum saltem quoad substantiam eius non peccare contra

illud. Et idem aperte docet eadem 1. 2. quæst. 100. artic. 8. & 9.

Præterea vltra improprium loquendi modum, falsum esse existimo dicere, posse hominem lapsum solis viribus liberi arbitrij facere omnia, quæ supernaturaliter præcepta sunt, etiam sine modo supernaturali, vel (vt sic dicam) quoad materiam substantiam actus, qualiscunque illa esse fingatur. Nam licet ad credendum naturali, & acquisita fide aliqua reuelata, non sit gratia necessaria; ad credendum tamen omnia, quæ reuelata sunt sine errore, non sufficit homini delectus omni auxilio gratia, quocunque modo illa omnia credantur, vt supra ostendi. Eademque ratio est de omnibus præceptis spei, & multo magis charitatis, quia eo etiam modo, quo hæc possunt per actus acquisitos fieri, maior difficultas est in illis omnibus exequendis, quam in seruandis præceptis mere naturalibus. Si ergo hæc omnia non possunt fieri sine gratia, multo minus illa: Vt iam iterum in superioribus dixi. Igitur seruare præceptum supernaturale sine gratia nullo modo contingit, neque in toto, neque in parte, facere autem aliquem actum simile actui præcepto, vel in materia, vel in genere actus, contingere quidem potest in vna, vel alia parte materiae supernaturalium præceptorum alicuius virtutis, non tamen in tota collectione, vt ostensum est.

Dico tertio. Non solum nō potest impleri affirmatiuum præceptum supernaturale sine gratia, verum etiam nec vitari culpa illi contraria, si reuera præceptum obliget. Hæc assertio est expresse D. Tho. 1. 2. quæst. 63. artic. 2. ad 2. vbi ait, nō posse hominem sine gratia vitare peccata, quæ directe opponuntur virtutibus Theologicis. Et quoad peccata contraria præceptis affirmatiuis, est profecto euidenter ex dictis, nec potuit ab ea dissentire Caietan. nisi in modo loquendi. Probatur, quia pro tempore, pro quo præceptum affirmatiuum obligat, non potest peccatum contra illud vitari, nisi faciendo actum præceptum: sed hic actus nō potest fieri sine gratia; ergo neque peccatum contra tale præceptum obligans potest vitari sine gratia. Maior patet, quia peccatum contra præceptum non vitatur nisi faciendo quod præceptum iubet. Item facere quod præceptum iubet, vel nō facere, immediate opponuntur, ergo etiam obseruatio, & transgressio præcepti sunt immediate opposita, quia transgressio hæc in sola omissione consummatur: ergo gratia, quæ requiritur ad obseruandum præceptum, etiam ad nō transgrediendum illud necessaria est. Denique Concilia, & Patres nihil inter hæc distinguunt, sed pari modo ad nō peccandum contra præceptum, & ad implendum illud gratiam requirunt.

Dixi autem, Si reuera præceptum obliget, quia pro eo tempore, pro quo præceptum nō obligat, poterit quis limitatur, non peccare contra illud sine speciali gratia auxilio, & explicatur assertio, quia tunc ad nō peccandum nihil oportet facere. Pro tunc vero non impletur proprie præceptum, etiam si actus eius fiat, & ideo licet necessaria sit gratia ad illum actum, non est propter præcepti obligationem, sed quia actus in se illam requirit, etsi non præciperetur. Loquendum ergo est de non transgressione præcepti pro illo tempore, pro quo obligat. Et eadem ratione auferenda est omnis excusatio obligationis, quia si intercedat excusatio, eo ipso non peccatur: imo neque pro tunc peccari potest contra tale præceptum, & ideo tunc non erit necessaria gratia ad nō peccandum contra illud. Si enim homo inuincibiliter ignoret præceptum, vel naturaliter non aduertat, vel dormiat, aut alio simili modo sit impotens ad præceptum implendum, iam pro tunc cessat obligatio eius, cessante autem obligatione, cessat possibilitas peccandi.

Et similis est casus, in quo Caietan. fingit, posse hominem vitare peccatum sine gratia, si denegetur illi gratia necessaria ad faciendum actum præcepti: tunc enim consequenter etiam cessat obligatio præcepti, quia non potest esse de re impossibili, manere in ipso

fibilitate. Doctrina vero Conciliorum, & moralis supponit hominem habere omnia requisita, vt possit obligari præcepto, & quoad actum obligetur sine excusatione, ac denique quod sit moraliter potens operari, & non operari actum præceptum. Et ita manifestum est, non dari mediū inter seruare, vel non transgredi affirmatiuum præceptum, ideoq; gratiam necessariam ad implendum præceptum, esse æque necessariam ad non peccandum contra illud. Ado vero, quod licet supposita impotentia, vel alia excusatione non sit alia gratia necessaria ad non peccandum contra tale præceptum, interdum potest esse speciale beneficium, quod talis occasio impotentia, vel excusationis occurrat, vt quod homo nō aduertat, vel dormiat, quia fortasse si aduerteret, præceptum non impleret. Cumq; Deus bene hoc præsciat potest esse speciale beneficium prouidentia diuinæ, non aduertere, vel quid simile, iuxta illud, cum proportionē applicandū, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectū eius.* Sap. 4.

Nota.

18. Dico quarto. Non solum ad seruandum affirmatiuum præceptum supernaturale, sed etiam ad seruandum negatiuum, eo modo, quo esse potest supernaturale circa actus internos, & vt tale seruari, necessariū est gratiæ auxiliū. Declaratur in primis assertio. Nam duobus modis intelligi potest imponi negatiuum præceptum. Primo per se, propter solam exclusionē actus prauī, sicut prohibetur fornicatio. Secundo potest præceptum negatiuum poni vt consequens, seu concomitans præceptum affirmatiuum, sicut enim præcipitur non dissentire rebus fidei illo eodem præcepto, quo præcipitur illas credere, quia ille dissensus magis repugnat illi affirmatiuo præcepto, quam carentia assensus. Vnde idem præceptum affirmatiuum, quod obligat ad aliquid agendū, non pro semper, sed certis occasionibus, & temporibus, obligat pro semper ad non habedū actum contrarium. Vt præceptum confitendi aliquā fidem, obligat, vt nunq; illam negemus, & præceptum amandi suis temporibus proximum, obligat pro semper, vt odio non habeatur. In præ-

Pure negatiua præcepta supernaturalia non dantur de actibus merè internis.

19. Peccatum contra præceptum supernaturale, virtutis etiā naturalis opponitur. Ofsenditur.

Dupliciter potest caueri actus contrarius supernaturali præcepto. Primo secundum se, & absolute spectatus; alio modo vt repugnans tali supernaturali actui præcepto. Pior modo sine dubio potest caueri pro sola libertate naturali, vt probat ratio supra facta in vltima distin-

Uterius vero est considerandum, nullū esse actum prauum ita oppositum actui præcepto supernaturali, vt non sit etiam oppositus alicui actui naturali. Vt, verbi gratia, dissensus in materia fidei diuinæ non solum opponitur fidei supernaturali, sed etiam fidei acquisitæ, quæ in illa materia versari potest: & odium proximi, quod opponitur supernaturali amori, etiam opponitur naturali, & sic de cæteris. Ratio autem est, quia nulla est materia actuum supernaturalium, in qua naturales actus aliquo modo similes in substantia, seu obiecto naturali non possint sub inferiori aliqua ratione versari, motus vero contrarius cum ordinis naturalis sit, quia adæquatē, & per se primo opponitur contrario actui naturali, consequenter vero etiam opponitur supernaturali propter generalem rationem tendentē ad tale obiectum, quam includit. Hinc ergo fit, vt actus contrarius supernaturali actui præcepto, qui per illud præceptum consequenti ratione prohibetur, dupliciter possit caueri. Primo secundum se, & absolute spectatus; alio modo vt repugnans tali supernaturali actui præcepto. Pior modo sine dubio potest caueri pro sola libertate naturali, vt probat ratio supra facta in vltima distin-

ctione, seu opinione, quam retuli. Nam illa carentia est per se opposita actui naturali, & ita odium proximi potest caueri per rationem naturalem, & negatio huius articuli, Christus est Deus, potest vitari ex vi naturalis discursus, si quis ex illo fide humana persuaderetur Christum esse Deum. In his vero, & similibus casibus non implet quis formaliter, & proprie loquendo præceptum aliquod supernaturale, sed materialiter tantum dicitur illud implere, quatenus non violat affirmatiuum, in quo negatiuum illud virtute continetur.

Alio ergo modo potest quis cauere illum actum, eo modo, quo repugnat supernaturali actui præcepto, & hoc modo vere, ac formaliter dici potest seruare aliqua gratiam ex parte præceptum supernaturale. Et sic dicimus nō posse id facere sine gratia, quia non potest intelligi, q̄ illo modo, & intentione caueat illum actum, nisi per positum actum voluntatis, quo respiciat illud motiuium: actus autem ille supernaturalis est, quia est ex motu fidei, & reducitur ad voluntatem credendi, quæ sine gratia haberi non potest. Et hac ratione quotiescunq; occurrit tentatio ad habendū assensum fidei contrarium, vel dubitationem de certitudine illius, necessarium est auxilium gratiæ non solum ad positiuē credendum, sed et ad abstinendum deliberatē a quocunq; motu contrario, quia id nō fit sine pia affectione ad fidem, seu quod idem est, non fit sine voluntate positiua permanendi in fide Christiana, seu vitandi contrarios motus, ne ab illa recedatur. In quibus casibus etiam accedit difficultas ex parte tentationis, ad quam superandam etiam ex ea parte est moraliter necessaria gratia, quia in tali materia semper erit tentatio grauis, & periculosa, nisi homo per gratiam illuminetur, & iuuetur. Veruntamen licet interdum non sit adeo grauis, vt vincatur illo modo, & cum illo respectu ad fidem, ne aliquo modo violetur, est gratia necessaria. Si autem quis abstinere ab actu fidei contrario solum ductus rationibus, & motiuis humanis, poterit quidem interdum abstinere per vires liberi arbitrij a tali actu, tamen si tentatio grauis urgeat, vel diu in illo cōsistū persistendum sit, etiam ad id constanter cauendum sine gratia non sufficit, iuxta dicta superiori libro de pugna tentationum. Et hæc, quæ gratia exempli in præcepto fidei declarauimus, possunt eadem proportionē ad præcepta spei, & charitatis applicari.

Atq; ex his aliarum sententiarum fundamenta soluta relinquuntur. Principium n. illud toties à Pelagio repetitum, Deum non iubere impossibilia, licet ad arguenda absolute sit verissimum, nihil ad rem facit, nam quæ apud homines sunt impossibilia, apud Deum possibilia sunt. Ideoq; recte dantur præcepta supernaturalia, quia quod per solam naturam fieri non potest, per gratiam potest impleri. Ad fundamenta autem Caietani, q̄ ad priorem distinctionem de modo, & substantia actus pertinet, iam responsum est, in actibus præceptorum, de quibus loquimur, modum in substantia contineri, ac deinde dictum est, quomodo cunque modus ille ad actum comparetur, semper esse de substantia præcepti, ideoq; nullo modo impleri posse præceptum sine illo modo, qui sine gratia esse non potest. Ad fundamentum autem alterius distinctionis dictū est, casum illum, quem Caiet. fingit, in quo nec præceptum impleretur, neq; contra illud peccatur, talem esse, vt in eo non sit præceptum. Ablato autem præcepto, quid mirū est, quod nec seruatur, nec violatur? Quid autē D. Thom. ibi allegatus de homine in statu naturæ integræ senserit, statim dicam. Ad rationem vero vltimæ opinionis, negamus, præcepta negatiua pro- ut in hac materia esse possunt, impleri proprie per solam materialē negationem actus (vt sic dicam.) Iam enim ostendi, quomodo necessaria sit positiua voluntas non agendi aliquid repugnans præcepto supernaturali, quod vt de actu interiori datur, per se affirmatiuum est, non negatiuum, nisi consecutione quadam, vt satis explicui.

Vnde

Vnde primo ex dictis colligitur, necessitatem gratiæ ad seruanda hæc præcepta non oriri per accidens ex statu naturæ lapsæ, vel ex repugnantiâ appetituum, sed per se ex natura talis præcepti, & materiæ eius, quia superat vires naturales liberi arbitrii per se, & secundum suam intrinsecam naturam spectati. Et hinc fit, hæc gratiam esse necessariam, non solum ad collectionem præceptorum, sed etiam ad singula. Fit etiam vt non tantum sit necessaria gratia urgente tēatione, vel alia extrinseca difficultate occurrente, sed in quacunque opportunitate, vel dispositione. Denique fit, vt non sit tantum necessaria homini lapsō, sed etiam integro, sicut supra de singulis actibus infusus dictum est.

Quod autem D. Thomas ait art. 4. in statu integræ naturæ potuisse hominem implere mandata quoad substantiam, licet nō quoad modum, intelligendum est de præceptis legis naturalis. Nam de illis præcipue quæstione mouerat, de præceptis n. virtutum Theologicalium, quibus potissime actus interni supernaturalis præcipiuntur, non mouit quæstionem, quia reuera ex dictis in art. 2. definita erat. Ibi enim dixerat, in nullo statu posse hominem efficere sine gratia opus excedens suam naturā, quale est opus virtutis infusæ, hoc autem nō minus procedit, quando illud bonum præceptum est, quam cum non est præceptum, & ideo in artic. 4. solum de præceptis legis naturalis quæstionem mouet. Vnde cum in argumento 3. obieciisset de actu amoris super omnia, qui videtur præcipi lege naturæ, respondet in solutio. ad 3. illum amorem, prout ex charitate impletur, excedere vires naturæ, ac si diceret, sic non pertinere ad naturalem legem, & ideo neque pertinere ad illam quæstionem, neque in illo distingui modum à substantia, quod æque dici potuit de actu fidei, & spei, prout pertinent ad virtutes infusas. Cum vero in art. 8. dicit, potuisse hominem in statu naturæ integræ sine gratia habituali vitare omnia peccata, in eodem sensu intelligendus est. Supponit enim in illo statu nō fuisse habiturum hominem alia præcepta, nisi quæ sunt naturæ proportionata. Ex quo recte sequitur, quod tunc posset vitare omnia peccata, quia tunc in illo non essent peccata, nisi contra legem naturæ. Vnde pro ratione subiungit. *Quia peccare nihil aliud est quam recedere ab eo, quod est secundum naturam, quod vitare homo in statu integræ naturæ posset.* Vel certe si fingamus hominem in statu integræ naturæ siue gratia habituali, & nihilominus habentem præcepta supernaturalia de actibus internis supernaturalibus, tunc etiam posset vitare omnia peccata sine gratia habituali, non vero sine gratia auxiliante ad seruanda talia præcepta, vt ex dictis satis patet.

Secundo ex dictis colligitur, quænam gratia necessaria sit ad hunc effectum seruandi præcepta supernaturalia, & vitandi contraria peccata. Dicendum est enim, per se necessariam esse gratiam auxiliantem, quæ det vires operandi actum sic præceptum. Et hæc esse sufficientem, quia dat potestatem ad singulos actus. Vnde fit, vt sine gratia habituali possit peccator implere præceptum fidei, & spei. Imo etiam præceptum dilectionis, & perfectæ contritionis implere potest cum auxilio Dei sine habitu cooperante: quam simpliciter id non faciat sine habitu charitatis, & gratiæ, saltem consequente ordine naturæ in eodem instanti temporis, vt in materia de Iustificacione dicemus.

Atque hinc fit, vt licet semel, aut iterum hæc præcepta impleantur sine habitu gratiæ cooperante, simpliciter autem, & absolute non seruentur in omnibus temporibus, & in actibus suis sine gratia habituali, eiusque influxu, quod potest respectu intelligenti in præceptis fidei, spei, & charitatis quoad habitus, ad quos talia præcepta pertinent, vel simpliciter de tota collectione præceptorum ad charitatem, seu gratiam sanctificantem comparata. Et utroque modo

verum est. Nam licet in prima conuersione ad fidem homo impleat præceptum fidei per solum auxilium gratiæ, statim illi infunditur habitus fidei, quo postea ut possit ad implendum illud præceptum, quoties occasio occurrerit: & idem est cum proportionem de spe. Et similiter in charitate, licet prima conuersio ad Deum perfecta, qua impletur præceptum dilectionis, possit esse ex solo auxilio; nihilominus per illam statim infunditur habitus charitatis. Vterius vero vt homo possit ista omnia præcepta semper, & in omni occasione constanter seruare, necessaria est gratia sanctificans, quia supra diximus hæc gratiam esse necessariam ad seruandam totam legem naturalem: ergo multo magis ad supernaturalem. Tum quia nemo seruat totam legem supernaturalem, præsertim charitatis, quin seruet etiam totam legem naturæ. Tum etiam quia qui seruat omnia præcepta virtutum Theologicalium, sine dubio saluatur, quia diligit Deum super omnia, & simpliciter seruat mandata: nemo autem saluatur sine gratia habituali: ergo neque implet præcepta sine illa gratia: quæ tamen non solum est necessaria ex ordinatione diuina quasi extrinseca, sed etiam ex intrinseca connexion, quam habet cum charitate, vt satis ex dictis constat.

CAPVT XXIV.

Vtrum ad seruanda præcepta supernaturalia de externis actibus necessaria sit gratia?

Distinguiamus quæstionem hæc à præcedente, quia actus externi non sunt supernaturales, sicut interni: hi enim sunt in substantia supernaturales, illi vero in se, & in sua entitate supernaturales non sunt, solumque causaliter, seu moraliter possunt supernaturales dici, quatenus ab actibus internis supernaturalibus procedunt. Sicut enim actus externus in se, ac formaliter non est liber, nec bonus moraliter, nisi per denominationem ab interno, ita actus externus in ratione actus virtutis non est supernaturalis, nisi quatenus interno actui supernaturali coniungitur, & ab illo quasi informatur. Dixi autem in ratione actus virtutis, quia in ratione Sacramenti alium modum supernaturalitatis habere potest externus actus, illam vero non habet à nobis, sed ab institutione diuina; nobis autem non præcipitur, nisi quatenus humanus actus est, & à nostra voluntate pendet, & vt fit etiam habet, quod sit supernaturalis actus per coniunctionem ad aliquem interiorem actum, vt mox explicabimus. Atq; hinc fit, vt in his præceptis de actibus externis optime locum habeat distinctio illa Caietani de obseruatione præcepti quoad substantiam, vel quoad modum, quia in externis actibus modus supernaturalis est extra substantiam actus, vt ex dictis patet, & similiter esse potest extra substantiam præcepti, vt iam explicabimus.

Dico ergo primo. Præcepta supernaturalia de actibus externis interdum possunt quoad substantiam impleri sine auxilio gratiæ, non vero quoad supernaturalem modum, quem habere possunt ab operante. Ratio vtriusque partis facilis est. Prioris quidem, quia supernaturalitas non est extrinseca externo actui præcepto, & interdum non præcipitur per ipsummet præceptum supernaturale: ergo tunc actus quantum ad totum id, quod exterius præcipitur, potest fieri per vires naturæ sine gratia, & tunc implebitur tale præceptum quoad substantiam. Alterius vero partis ratio est, quia non potest homo facere actum vt supernaturalem sine auxilio gratiæ, aliqua vero sunt præcepta de his actibus, quæ dantur de modo supernaturali illorum, ergo. Vis huius rationis ostendetur descendendo ad hos actus in particulari. Tribus enim modis (quantum nunc occurrir)

Ad disticti
nam obser-
uantiam
horum præ-
cepti requiritur
gratia
sanctificans

Peculiaris
difficultas
de his actibus

Caietani
sententia

2.
Affertio r.
Hæc præcepta
non quoad
substantiam, sed
quoad modum
tantum gratia
indigenti.
Ostenditur
i. pari
Ostenditur
2. pari.

Confirmatio
inducti-
one.